Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Homiliarius (Lectionarius) - Cod. Aug. perg. 16

[S.l.], [11. Jh.]

Lesung aus dem Evangelium nach Iohannes

urn:nbn:de:bsz:31-6697

Visual Library

Desideria terrena fugiamus·
nil nos delectet iam in infimis
qui patrem habemus in caelis·
Et nobis est magnopere per
pendendum· quia is qui pla
cidus ascendit· terribilis redit·
Et quicquid nobis cum mansue
tudine praecepit hoc a nobis
cum districtione exiget·
Nemo ergo indulta paeniten
tiae tempora parui pendat·
Nemo curam sui dum ualet
agere neglegat· quia redem
tor nr̄ tanto tunc in iudicio
districtior uenit· quanto no
bis ante iudicium magnam
patientiam praerogauit·
Haec itaq· uobiscum fratres
agite· haec in mente· sedula
cogitatione uersate· Quam
uis adhuc rerum perturba
tionibus animus fluctuet·
iam tamen spei urae anchora
in aeternam patriam figite·

Intentionem mentis in uera lu
ce solidate· Ecce ad caelum
ascendisse dnm̄ audiuimus.
hoc ergo seruemus in medita
tione quod credimus· Et si
adhuc hic tenemur infirmi
tate corporis· sequamur ta
men eum passibus amoris·
Non autem deserit desideriū
nrm̄ ipse qui dedit ihc xpc
dns nr̄· qui uiuit et regnat
cum patre in unitate sps sci
ds· per omnia saecula saecu
lorum amen·

I· LEC· SCI· EV· SEC· IOH·

IN ILLO TEMPORE·
Dicebat ihc discipulis suis·
Si quis diligit me· sermonem
meum seruabit· Et pater
meus diliget eum· et ad eū
ueniemus et mansionem
apud eum faciemus· Qui
non diligit me· sermones
meos non seruat· Et sermo

nem quem audistis non est meus. sed eius qui misit me patris. Et reliqua.

OMELIA LECTIONIS EIUSDEM BEATI GREGORII PP DE DIE SCO PENTECOSTEN

LIBET FRATRES CARISSIMI euangelicae uerba lectionis sub breuitate transcurrere ut post diutius liceat in contemplatione tantae sollennitatis immorari. Hodie namq. sps scs repentino sonitu super discipulos uenit. mentesq. carnalium in sui amore permutauit. Et foris apparentibus linguis igneis. intus facta sunt corda flammantia. Quia dum dm in ignis uisione suscipiunt. per amorem suauiter exarserunt. Ipse namq. scs sps amor est. Unde et Iohannes dicit. Ds caritas est. Qui ergo mente integra dm desiderat. profecto iam habet quem amat. Neque enim quisquam posset dm diligere si eum quem diligit non haberet. Sed ecce unusquisq. uestrum requiritur an diligat dm. tota fiducia et secura mente respondet. diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quod ueritas dixit. Si quis diligit me. sermonem meum seruabit. Probatio ergo dilectionis. exhibitio est operis. Hinc in epistola sua isdem Iohannes dicit. Qui dicit quia diligo dm. et mandata eius non custodit